



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Quomodo cesset? parag. 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

ex aliis contractibus, nam propterea, si ex contractu v.g. mutui, vel emptionis, vel depositi, & similibus nullam administrationem alterius continente, quamcumque summam alteri debeas, Irregularis ex hoc capite non eris.

At, si remaneat astrictus ex dolo, vel certè, si probabiliter timeatur, ne moveatur lis de dicto dolo, erit ex capite Infamiae, vel probabilis periculi, ne succumbendo liti, Infamis erit, inquam, arcendus ab Ordine, donec lis finiat?

Debet tamen definiri tempus ad litem terminandam, ne Adversarius nimis in longum eam trahat, ut rectè notat Sayrus, *a Sayr. de Cens. l. 6. c. 14. n. 8.*

5. Inquires: Si quis, dum est in officio publico, ordinetur (sanè cum peccato gravi, quia prohibitio de re gravi est) licitè poterit Sacras functiones peragere, & in officio persistere.

6. Respondeo. Nequaquam; cum enim hic, durante officio, vel obligatione ad ratiocinia, sit Irregularitate interdictus, liber non erit, ut possit accedere ad altare: quicquid dicat Bonacina inducens quemdam Textum, qui, si

penetretur, id non dicit. Immo, si quis nondum absolutus à ratiociniis iniectur, debent illius bona tradi Creditoribus. Quod si ea non sufficiant, reliqua denebitur Episcopus, qui dicitur *Sayr. l. c. de Irreg. c. 58. §. 1. n. 9.*

7. Quid si administratio, vel obligatio ad ratiocinia superveniant jam legitime ordinato, inferetne Irregularitatem?

Respondeo. Non inferet, quia jura semper loquuntur de eo, qui Ordinem non habet, prohibentque, ne quis ordinari possit: At nihil loquuntur de jam ordinato. Ita *Vgol. e & alii.*

§. 11. Quomodo cesset hac Irregularitas.

1. Cessabit sine dubio, si dispensetur quis à potente hanc dispensationem concedere, de quo, mox, cessabit, si Primò, officium deponatur. Secundò, si reddatur ratiocinium, vel saltem praestetur pignus, seu fidejussio, qua quis administrationis rationem se reddaturum, promittat, vel in causa mortis liti ratiocinii causam assumit. Tertio si quis bonis cedat, eodem modo, quo non reddatur Infamis, quod certum est in Clerico confugiente ad remedium Capituli Odoardi, ob quod non incurritur Infamia, neque mendicitas.

f. C. Odoardi de Solutio Suar. d. 51. de Cens. se. 5. n. 26.

§. III.

Quis Dispensat in Irregularitate ex officio, vel obligatione ad ratiocinia?

1. Non nisi summus Pontifex, dum durat Officium, vel dicta obligatio, iis enim non durantibus, jam cessare Irregularitatem, diximus modo. Episcopum non posse, certum sit, quia hæc potestas nulli ipsi concessa est.

CAPUT XX.

De Irregularitate orta ex Paupertate.

§. I.

1. TAMETSÌ Paupertas propriam Irregularitatem nequaquam pariat, quia tamen hominem non solenniter in Religione Professum impedit ab Ordinibus, præsertim Majoribus, ideo de ea hic nonnulla sunt afferenda. Nonnulla, inquam, plura enim de eà diximus, cum de Patrimonio Ordinandi locuti sumus. Hic igitur notanda sunt tantummodo quatuor.

2. Primò, Pauper in hac materia ille dicitur, qui congrua sustentatione caret. Quare, si quis locuplete gaudens Patrimonio, ita tamen ære alieno gravatur, ut eo pro Creditoribus subdito, ipsi non remaneat, quo honestè vivat, pauper est, nec ad Ordines admittendus: at, si condonationem à Creditoribus habeat, vel commoda sustentatione servata, reliquis bonis cedat, modo non inducente, pro consuetudine regionis, infamiam, seu notabile dedecus, ad Ordines admitti utique potest, ut dixi *a Suar. de Cens. d. 31. §. 2. n. 25. Filius. n. 19. e. 7. n. 200.*

Cap. præced. §. 1.

3. Si quis, modo dicto pauper, ordinetur, peccare mortaliter diximus cum de Ordine: at si jam (esto cum peccato) iniciatus fuit, Inquires Primò, an licitè, durante paupertate, Ordinem exerceat, Missam v.g. celebrando. Secundò an incurrat celebrando aliquam poenam?

4. Respondeo. Ad primum, puto illicitè mortaliter celebrare. Sicut enim, quia ante statem scienter promoveri se sinit, peccat celebrando, nondum adveniente perfecta ætate, quia ut alibi supra diximus, Irregularitas, quæ prohibet hominem promoveri, prohibet, ne sic promotus ante dispensationem susceptum Ordinem exerceat: ita in casu, de quo agimus. Neque dicas, si promotus cum Patrimonio illud amittat, non prohiberi Missam celebrare, ergo,